



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XIV. Vtrum distingui debeant motium volendi credere, & credendi;
Conditio sine qua non, & causa; Rectum, & obliquum motiui?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

neque didici, sed per reuelationem IESU Christi. 1. Ioan. 5. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Et rursus. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Quibus similia sunt complura alia. Ex stentia huius Fidei, quoad habitum, eiusdemque quoad actum, & habitum necessitas demonstrata est quæst. 1. & 2. Auctoritate Conciliorum, & ratione Theologica. Quomodo autem id ipsum probandum sit aduersus infideles, iisdemque persuadendum, constabit infra, productis argumentis Christianæ Fidei, & expositis difficultatibus in contrarium.

Ad 1. & 2. Homines, eorumque voces, & scripturæ sunt instrumenta Dei nobis per illos loquentis; sicut calamus, & lingua sunt instrumentum respectu cuiusque hominis; quibus tamen instrumentis non adhibetur Fides; sed loquenti per ipsa. De quo plura quæst. 16. & 17.



QVÆSTIO XIV.

Vtrum distingui debeant motuum volendi credere, & credendi; conditio sine qua non, & causa; rectum, & obliquum motui?



IDEVR non debere distingui. 1. Quia propter id vnusquisque credit, propter quod vult credere. Sicut enim est liberum credere, vel non credere, ita est illud motuum. Ergo non debet distingui motuum volendi credere à motuo credendi.

2. Idem est genus dependentiæ Fidei ab omnibus prærequisitis ad ipsam. Ergo frustra distinguitur conditio sine qua non respectu ipsius ab eisdem causa. Patet ant. cedens, quia Deus potest per seipsum immediatè infundere Fidem non minus quoad actum, quam quoad habitum. Ergo à quocumque alio dependet ex sola voluntate diuina, ac proinde est idem genus dependentiæ ab omnibus aliis.

3. Distinctio Recti, & obliqui pertinet solum ad considerationem Logicam, in ordine ad prædicationes sic, vel aliter disponendas. Ergo pro re Theologica inutiliter teritur in eorum explicatione.

Art. 1. Resp. In opere credendi interueniunt actus voluntatis imperans assensum obiecti propositi per locutionem alterius; & actus intellectus assentientis eidem. Licet autem nomine Fidei directè, & primariò intelligatur is actus intellectus; Indirectè tamen comprehenditur sub eadem voce actus ille voluntatis, & vterque simul Fides frequenter nominatur, cum confusione actuum admodum diuersorum. Hinc est prima origo æquiuocationis in quæstione de motuo Fidei. Cum enim hæc quæstio instituitur sub his terminis de solo motuo actus intellectus, facile elabatur discursus, in motuum actus voluntatis sub eadem voce frequenter comprehens, & alterum, aut vtrumque simul reponit pro altero. Sunt autem hæc duo motua longè inter se diuersa. Primum ex genere boni, quod respicit voluntas per omnes suos actus; & verum, quod intellectus per omnes suos. Deinde quia motuum actus voluntatis oportet esse præcognitum adæquatè antequam ipse eliciatur; cum tamen motuum actus intellectus, qui ad illum consequitur, non nisi per ipsum cognoscatur, saltem adæquatè, ne hic perperam superaddatur, nève deatur processus in infinitum, quæsitio alio imperio vo-

luntatis pro anterior cognitione, & assensu eiusdem motui. Demum in quæstione de motuo actus voluntatis inquiritur, vnde illi proueniat honestas; In quæstione verò de motuo actus intellectus vnde infallibilitas, quæ sunt valde diuersa.

Art. 2. Maior est æquiuocationum occasio ex confusione causæ cum conditione sine qua non, quia est occultior earum inter se differentia. Prædicatum enim, quod est notissimum in causa, nimirum ipsam esse necessariam ad existentiam effectus, atque hunc ab illa pendere, est commune conditioni sine qua non, & confusio quoad ea, quæ sunt notissima in extremo præcipuo, est procliuus in totalem æquiuocationem, redditque difficilem absolute discretionem. Differunt nihilominus notabiliter, maximè penes duo. Alterum est causam esse necessariam ad effectum ratione sui: Conditionem autem sine qua non, ratione alterius, tametsi vtraque immediatè requiratur, ita vt non data causa, tametsi dentur cetera omnia, non detur effectus: at non data conditione sine qua non, si tamen dentur, aut intelligantur dari cetera omnia, per possibile, vel impossibile, detur seu intelligatur dari effectus idem, quoad omnia.

Art. 3. Hoc pacto se habent agens creatum, & applicatio eius ad passum, respectu effectus pendens ab illis. Ignis enim productus ab igne, si intelligatur hunc esse præsentem passo per se ipsum essentialiter, vel tantundem præstare, ac influere absque vlla præsentia, atque præstat, & influit superaddita sibi præsentia realiter à se distincta, eo ipso ille intelligitur habens eandem perfectionem, eademque protius prædicata, quæ de facto accipit dependenter ab igne producente, & ab eius applicatione ad passum realiter distincta ab agente, & effectui. Vnde apparet applicationem superadditam igni causanti requiri tantum ratione alterius, ideoque esse conditionem sine qua non, & non causam. Si autem è conuerso supponatur per impossibile dari vbiuationem applicatiui ignis absque ipso igne, non propterea intelligitur effectum existere, & habere perfectionem, ac prædicata, quæ habet de facto. Vnde apparet ignem, qui applicatur, requiri ratione sui, & non esse conditionem sine qua non, sed causam.

Art. 4. Alterum discrimen absolute, & non ex suppositione explicans naturam rei, & in quo adæquatè fundatur istud aliud modo explicatum, in eo consistit, quod causa est contentiua perfectionis, & prædicatum, aut prædicati alicuius, conuenientium effectui, & quod effectus seipso essentialiter est participatio illius, ita vt effectus per aliquam suam perfectionem, aut prædicatum peculiare conueniat cum causa quatenus illud præhabente in se, vel formaliter, vel æquiuolenter. At conditio sine qua non, non est contentiua similiter perfectionis alicuius, aut prædicati peculiaris conuenientis effectui, nec effectus prodit particeps illius. Vnde si effectus aliquis pendeat à duobus, atque in eo appareant prædicatum, aut prædicata aliqua contenta in altero illorum, nullum verò contentum in altero appareat, ideoque effectus sit particeps vnius, & non sit particeps alterius, id cuius erit particeps, & cum quo conuenit specialiter per aliquod suum prædicatum, habebit rationem causæ; alterum verò rationem conditionis sine qua non. Causa enim est, quæ dat esse effectui, atque hoc titulo est necessaria ad existentiam eius. Conditio verò sine qua non, quæ non dat esse effectui, estque necessaria ad eius existentiam, vt aliquid aliud det illi idem esse.

Art. 5. Quod si aliquod prædicatum erit commune effectui, & iis omnibus, aut aliquibus eorum, à quibus idem effectus vtrumque dependet, inspicendum

dum est vtri eorum, à quibus dependet, conueniat, & vtri conueniat formaliter, aut virtualiter prædicatum speciale effectus per se, & essentialiter subordinatum prædicato illi communi; cui enim illud conuenit, id habebit rationem causæ; reliquum verò conditionis sine qua non. Repugnat enim, vt aliqua causa det effectui vi sua prædicatum essentialiter subordinatum alteri, quin det hoc etiam, cui illud subordinatur, à quo enim habet effectus quod sit animal v.g. ab eodem necesse est, vt habeat, quod sit viuens, & substantia, & sic de similibus. Ratio est, quia animal quidditatiue, & formaliter est viuens; siquidem hoc pertinet ad ipsius definitionem; similiterque viuens est substantia, & idem de cæteris similibus. Repugnat autem, vt vnde effectus habet aliquod prædicatum, non indidem habeat conceptum formalem, & quidditatum eiusdem prædicati. Atque hoc modo ascenditur semper à prædicato quolibet speciali ad omnia vniuersalia formaliter producibilia vsque ad ens, & ex causa illius, causa istorum deprehenditur.

Art. 6. Quare id, ex quo effectus aliquis dependet, quin vllum prædicatum speciale effectus illi correspondeat modo dicto; solum erit conditio sine qua non. Quia, quod est causa adæquata effectus secundum prædicata specialia subordinata aliis vniuersalioribus, est etiam adæquata effectus eodem modo, quoad prædicata ista vniuersalia, propter rationem nuper datam: Atque idem, si quod nequit esse, causa effectus secundum aliquod prædicatum eius speciale; quia nullum tale prædicatum eius in se continet, posset nihilominus esse causa, secundum prædicatum aliquod vniuersalius; sequeretur istud vniuersalius prædicatum procedere à duplici causa adæquata formaliter respectu sui, vel saltem ab altera adæquata, & altera inadæquata, quod repugnat metaphysicè, & ex communi sententia omnium est impossibile, vt minimum, ex natura rei.

Art. 7. Notandum est, quod est causa effectus secundum vnam eius formalitatem, posse simul esse speciali titulo, puram conditionem sine qua non respectu eiusdem effectus, secundum aliam formalitatem, non subordinatam priori, & cui similiter non subordinetur prior. Dantur nimirum effectus, quibus insunt formalitates aliquæ, non subordinatæ inuicem, neque mutuo, neque non mutuo, quales sunt vitalitas, & supernaturalitas in actu supernaturali; Nempe vtralibet earum potest existerè separata ab altera in aliis effectibus. Fieri autem tunc potest, vt causa præcontinens in se effectum, secundum vnam formalitatem, eundem non præcontinet in se secundum alteram, vt perspicitur in exemplo posito; si comparatur effectus cum potentia naturali, & comprincipio supernaturali: Ideoque fieri poterit, vt quod est causa effectus secundum eam formalitatem præcontentam in ipso, simul non sit causa eiusdem secundum alteram, iuxta metaphysicam formalitatum attributionem. Quia verò causa huius alterius formalitatis potest pendere quoad suam causalitatem à priori illa causa, vt ab applicatione, aut dispositione sui, fieri planè poterit, vt eadem entitas habeat propriè rationem causæ sub vna consideratione, & formalitate, simulque rationem conditionis sine qua non sub alia consideratione, & formalitate.

Art. 8. Exemplum huius rei exhibet cognitio comparata cum volitione directæ per ipsam. Volitio enim habet ab ea cognitione, vt à causa physicè influente voluntarietatem, & rationem appetitionis rationalis, vt apparet ex dictis quæst. 17. de Gratia. Ab eadem verò vt à conditione sine qua non, & applicatione obiecti, habet honestatem, vel inhonestatem, & vt sit pondus, atque inclinatio, respectu talis determinatè

obiecti applicati voluntati per cognitionem, sicut applicatur agens purè physicum passio per vocationem approximantem. Eadem est ratio, vt alia prout pratermittantur, de simplici apprehensione respectu iudicii pendens ab ipsa, tum vt ab influenti physicè, tum vt à proponenti obiectum, de quo iudicatur, vel etiam obiectum aliud, ad instar cuius iudicatur. Habet enim talis apprehensio rationem causæ quatenus influens, & rationem conditionis sine qua non, præcisè quatenus proponens vtrumque obiectum, de quo, & ad instar cuius iudicatur.

Art. 9. Superest postremò explicandum discrimen pro re præsentì admodum necessarium inter Rectum, & Obliquum. Triplex autem inter vtrumque differentia considerari potest, Grammatica, Logica, & Physica. Differentia Grammatica constat dispositione vocum: Logica modo concipiendi: Physica perfectione rerum in se. Quia verò dispositio vocum potest variari ex libito loquentis, & modus concipiendi, tum ex libito concipientis, tum per accidens ex aliqua causa necessaria præexistenti; idem fieri potest, vt idem respectu eiusdem modò habeat rationem recti, modò rationem obliqui tum Grammaticaliter, tum Logicè. Si enim dicatur, Ludouicus filius Francisci, Franciscus est in obliquo grammaticaliter, Ludouicus in recto; & vice versa si dicatur, Franciscus Pater Ludouici. Idem contingere facile potest, etiam in modo cognoscendi, tam quoad iudicium, quam quoad apprehensionem. Fieri namque potest, vt ex duobus terminantibus intrinsecè cognitionem indicatam, modò vnum, modò aliud sit directè subiectum, aut prædicatum propositionis, quod, aut de quo affirmetur aliquid, vel negetur per illum; vel neque sit subiectum, neque prædicatum, sed tantum quiddam alterutri eorum adiacens, vt apparet in exemplo posito, si transferatur ad conceptus internos, iudicantes proportionaliter de illis terminis. Eadem prorsus ratio est de apprehensionibus disponentibus intellectum ad eiusmodi iudicia. Dicitur præterea Rectum Logicè, quod tenet primum locum in cognitione, quoad expressionem, aut apprehensionem; Obliquum verò, quod tenet secundum locum penes eisdem; id est, quod cognoscitur veluti insinuatine tantum, vel tanquam aliquid alterius; ideoque velut adiacens alteri. Quæ sunt communes explanationes recti, & obliqui Logici ad primum caput Categoriarum.

Art. 10. Verum quia constitutio rerum in Recto, aut in Obliquo per voces, & conceptus pendet per se ex natura ipsa rerum; seu ex physica earundem rectitudine, & obliquitate; hæc potissimum est consideranda. Ponendum verò est istud ante alia principium: Inter quaslibet duas entitates respicientes se mutuo, aliqua habitudine, aut connexione; illam esse Rectum naturaliter, quæ præstantior est, & illam Obliquum, quæ est ignobilior. Quia quæ præstantior est, habet naturaliter, & per se rationem finis respectu ignobilioris; ideoque occupat per se primum locum in cognitione, & amore, quatenus exprimitur per modum per se stantis, & amatur ratione sui; cognoscitur clariùs, ac expressiùs, & amatur magis, vt motuum videlicet cognoscendi, atque amandi. Ignobilior verò è contra habet rationem mediij; ideoque deicitur per se ad secundum locum in cognitione, & amore, quatenus exprimitur per modum alteri adiacentis, seu tanquam aliquid alterius, & amatur ratione alterius, cognoscitur minus clarè, & expressè, atque amatur minus, vtpotè minimè mouens ad sui cognitionem, & amorem. Licet enim quaslibet entitas, vtrumque ignobilior aliis sit cognoscibilis, & amabilis cognitione, & amore comprehensio sui; ideoque summa claritate, & expressione, atque affe-

ctu

Et summo inter possibiles respectu sui: hæc tamen ipsa comprehensio, est minor absolute claritas, & expressio, atque affectus, quam comprehensio representatiua, & prosequutiua entitatis perfectioris. Quia hæc posterior comprehensio exprimit maiorem veritatem, ac plura prædicta, & vult suo termino maius bonum, quam comprehensio prior. Tantum enim veritatis, & bonitatis habet vnumquodque, quantum habet entitatis, & perfectionis absolute.

Art. 11. Hoc pacto, & non aliter magis Deus amat naturaliter Angelum, quam hominem innocentes; Licet amor vtriusque sit prorsus idem, & simpliciter infinitus; ideoque æqualis quoad entitatem, seu intensionem, aut quasi intensionem entitatiuam respectu vtriusque. Eadem proportionalis ratio est de maiori cognitione, nisi quod de ista cautiùs loquendum est, quoad eiusmodi comparisonem: Quatenus minor cognitio, aut expressio iuxta communem loquendi modum, solet consignificare admixtionem ignorantia; cum in affectu non soleat significari admixtio odij.

Art. 12. Conferet plurimum ad confirmationem, & intelligentiam huius discriminis, si obseruentur quædam exempla, & in eis communis auctorum consensus. Ac primum omnium, substantia est Rectum respectu suorum accidentium, maxime modalium; atque hæc sunt Obliquum respectu illius. Vnde ex communi auctorum sententia ad dictum primum caput Categoriarum, in conceptu terminato ad concretum accidentale, Album v.g. Subiectum substantiale constituitur in recto, & occupat primum locum; Albedo vero constituitur in obliquo, & occupat secundum locum. Deinde ex communi Theologorum sententia, Christus Dominus dicit in Recto Verbum diuinum, in obliquo humanitatem, foretque modus concipiendi innaturalis, & improprius, si in cognitione Christi Domini intentio cognoscentis ferretur primario in humanitatem, & secundario in personam Verbi Diuini; atque Verbum significaret ad modum accessorij respectu humanitatis, & quasi adiacens eidem. Similiter in constitutione Sacramenti forma importatur in recto, & materia in obliquo, quia videlicet forma præminet materia, quoad vim significandi, quæ vis est Sacramento essentialis, & primaria. Atque in quouis concreto rectum, & obliquum constituuntur per excessum, quoad eam rationem, quæ ab eodem dicitur de formali, licet materialiter opposito modo se habeant, vt accidit in hoc eodem exemplo. Aqua enim v.g. longè præminet Verbis secundum entitatem, actuitatem, & stabilitatem, & tamen est obliquum Baptismi; quia significat minus quam verba.

Art. 13. Denique qui diceret mundum huic constitui ex brutis, & cæteris omnibus, absurdè proculdubio loqueretur, & sic concipiens haberet conceptum falsum, quoad modum, licet quoad rem affirmatam, vt affirmatam, propositio foret vera: Qui vero diceret mundum constitui ex substantiis rationalibus, & cæteris omnibus rebus, propositionem enunciarer veram, cum modo significandi itidem vero. Quia scilicet substantiæ rationales præminent cæteris, & sunt finis cæterorum, ideoque ad ipsas pertinet per se primus locus in cognitione, & expressione obiectorum. Nec enim vlla alia est ratio, ob quam propositiones istæ eo modo se habeant, quo dictum est se habere.

Art. 14. Concluditur ergo eatenus vnicuique conuenire per se, vt sit Rectum, vel Obliquum, quatenus eidem conuenit, vt præmineat à parte rei, vel subiaceat alteri secundum eam rationem, quæ consideratur in eo concreto, aut combinatione, seu quasi concreto, & combinatione, ad cuius constitutionem vtrumque pertinet. Hinc fit, vt quælibet, siue entitas,

siue formalitas prædicta aliqua perfectione formaliter ratione sui; tamen ea sit admodum exigua, sit absolute significabilis in recto; Et similiter quælibet, siue entitas, siue formalitas prædicta aliqua perfectione, tamen ea sit admodum exigua, sit significabilis in obliquo: ea vero quæ est perfectio siue imperfectio sit purum rectum, nec sit significabilis in obliquo, nisi per cognitionem impropriad, & falsam, quoad modum significandi, & habitam per species alienas. Et similiter sit purum obliquum, nec possit concipi in recto, absque eiusmodi defectu cognitionis, ea entitas, aut formalitas, quæ nulla perfectione prædicta est ratione sui. Nempe possibilis semper est perfectio minor quælibet alia perfectione determinatè sumpta; necnon maior, quam quælibet coniuncta cum aliqua imperfectio.

Art. 16. Iam vero perfectio pura, qualis est sola diuinitas, & quæ sunt conuertibilia cum ipsa mutuo, à nulla alia perfectione superari potest, sicut neque potest vllam perfectionem superare, quod est expers omnis perfectionis, quatenus tale est. Quare diuinitas, & omnia mutuo conuertibilia cum ipsa, sunt purum rectum per se. Malitia vero peccati, & cætera, seu priuationes, seu negationes sunt purum obliquum, reliqua autem omnia realiter ab ipsis distincta, possunt esse rectum, & obliquum etiam per se secundum diuersas comparationes, & combinationes. Adicitur vero vbiq; particula *per se*, quia per accidens ob imperfectiorem intellectus nostri, facile fieri potest, vt modus concipiendi sit contrarius modo essendi rerum, ideoque constituens in recto, quæ per se sunt obliqua, atque è conuerso, vt videre est in conceptu *Creabilis* ex. gr. qui ita à nobis efformatur, vt conceptus obiectiui creatus significetur expresse, & importetur in recto, Deus vero insinuatè tantum, & in obliquo, cum ex natura rei secus fieri deberet.

Art. 17. Constat igitur ex dictis, triplicem distinctionem propositam esse in primis veram, ac realem, deinde indigentem explicationis diligentis ad vitandam multiplicem æquiocationem, & fallaciam, ac demum esse vtilissimam ad intelligentiam eorum, quæ deinceps dicenda sunt, quod partim liquet ex ipso declarationis contextu, & manifestius deprehendetur in progressu.

Ad 1. Propter id vnusquisque credit, propter quod vult credere: Tò propter sumpto transitivè, non vero sumpto intransitivè. Aliud namque est motium, quo immediatè mouetur actus intellectus, quo creditur, & aliud, quo immediatè mouetur actus voluntatis imperans eum actum intellectus, licet vtrumque motium subiaceat liberæ electioni voluntatis imperantis, aliud mediatè, aliud immediatè.

Ad 2. Causæ secundæ, & conditioni siue qua non, communis est dependentia à voluntate diuina, sed habent alia, per quæ differant inter se, vt patet ex dictis.

Ad 3. Ex rebus Logicis dependent scientiæ omnes, atque adeò explicatio etiam legitima, atque vtilis Mysteriorum Fidei, & præterea, quæ dicta sunt de recto, & obliquo, respiciunt maiori cum determinatione doctrinam Theologicam, quæ deinceps in præsentem tradenda est.